

aut alium priore longo pejorem, vel diram mortem infert (§. 29.). E contrario vero patienter perseverans, tempusque praefinitum atque opportunitatem observans, prouti veteres (§. 30.), atque opportune & mediocriter simplicibus quidem sed certe utilibus, aperientibus et digerentibus naturae succurrens, judicationes salutare mature videt, hoc est gravium morborum subitas solutiones.

§. 47. Ac dein medici et intentio et finis est sanitatem in pristinum statum restituere, vel eam conservare (h). Medicamentorum autem usus hic summe necessarius est, quibus ipse tamquam mediis laesam antea eam et amisam ad recuperationem iterum ducit; vel & praesentem eam rite tueri novit (i). Verum media appropriata esse debent, ut ipse, iis mediantibus, scopum et finem propositum facile consequi queat, hoc est ut quam fieri potest facilius et citius omne obstaculum, nempe causam morbi efficientem emoveat. Accomodata ergo et appropriata, recteque ad eliminandam eam convenientia ea esse oportet (§. 40.) (k), tanta etiam in quantitate esse, ut aequabiliter ei equiparentur,  
nec

---

(h) id. ib. L. I. p. I. sect. I. i. (i) id. ib. L. I. P. III. sect. II. i.

(k) id. ib. 2. seq. Gaub. §. 480.